1 an

# CONTINUATIO
# JULIÆ
# ET
# MONTIUM
# SUBTERRANEORUM,
# SIVE
# SUCCINCTUS
# MINERALIUM
# INDEX,

QUÆ
per utrumque Ducatum hinc inde detecta, erutaque, ac magnam partem Collecta ſervantur

in Muſeo

FRANCISCI BEUTH, S. R. E. P.
Miſsionarii Julio-Montenſis
Amicorum Nat. Scrut. Berolinenſium
Sodalis honorar.

*Düſſeldorpii*
Typis J. A. *Zehnpfenning*, S. E. Palat. Cancelliſtæ
1779.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quodſi Collectiones ſingulares, quæ non rarò in Privatorum manibus ſunt, diligentius enarratæ publicum in uſum proferrentur, profecto paucis poſt annis ampla fieret Mineralogiæ, & totius hiſtoriæ metallicæ acceſsio.

S. R. J. Eques à Born Litophylacium
in Præfatione ad Lectorem.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI, ac DOMINO,

D. CAROLO THEODORO,

COMITI PALATINO RHENI,
SACRI ROMANI IMPERII
ARCHI-DAPIFERO
ET

ELECTORI,

UTRIUSQUE BAVARIÆ
JULIÆ, CLIVIÆ, ac MONTIUM
DUCI,
PRINCIPI MOERSIÆ,
MARCHIONI MONTIUM AD ZOOMAM;
COMITI
VELDENTIÆ, SPONHEMII,
MARCHIÆ, AC RAVENSBURGI,
DOMINO
IN RAVENSTEIN,
&c. &c. &c.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

## SERENISSIME
## PRINCEPS ELECTOR,
## CLEMENTISSIME DOMINE!

Materiam ad pagellas haſce conſcribendas neceſsariam ſuppeditârunt Juliæ & Montium ducatus. Hauſi itaque è proprio SERENITATIS TUÆ Fonte: id quod vel unicum me, si non ex aliis plurimis capitibus officii mei commonerer, energicè ſatis hortabatur, ut tenuem hunc



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

qualemcunque conatum ad ELECT. SERENITATIS TUÆ pedes, qua par eſt, animi demiſsione deponerem, Fluentorum ſecutus indolem, quæ grata quodammodo ad Oceanum redeunt, à quo ſuas aquas mutuantur.

Hunc ego fructum inde me collecturum ſperem, ut, dum Mineralium Patriæ Theſaurorum Synopsin, facta mihi ad id antè gratioſiſsimâ poteſtate, Sereniſsimis oculis perluſtrandam propono, ſingu-

ſingularem Elect. Serenitatis tuæ, tanquam patriæ Patris gratiam ſim conſecuturus, quâ erectus, fultusque majoribus deinceps animis pergam perſcrutari, quæ è fertiliſsimo patrii ſoli ſinu pronaſcuntur, Deum optimum maximum indies orans, ut Elect. Serenitatem tuam in ſeros annos ſervet incolumem, ac publicæ Subditorum ſibi ſalutis Conſervatorem, & Protectorem, nec non ſtudii Phyſio-mineralogici Fautorem,



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

rem, Promotoremque munificentiſſimum perenni fælicitate in terris augeat, atque æternâ dein in Cœlis gloriâ Meritorum exornet,

SERENITATIS TUÆ

# ELECTORALIS

DEVOTISSIMUS CLIENS

FRANCISCUS BEUTH.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

# LECTOR MINEROLOGE!



Tribus abhinc annis ſumptu meo prodiit Syntagma Foſsilium variorum per Juliæ & Montium ducatus hinc inde repertorum, in quo breviter recenſa, & deſcripta propoſui Subterranea potiſsimum petrificata, quæ quidem tunc ſervabantur in Muſeo meo.

Verebar equidem cenſoriam virgulam, quâ non in unâ ex novem, in quas Collectanea mea dispescueram,

Serie

Serie me notatum iri putabam à Criticis; Verùm evaſi integer, ac Cenſores inveni uti incorruptos, ità æquitatis amantes, faventésque, sive Erfurtensium Relationes anni 1776 pag. 421, sive Celeberrimi Schrôteri, cui debitor ſum, ſolviſſemque dudum pro viribus, nisi tanto locorum intervallo diſtingueremur, Ephemerides, Tom. 4. pag. 33. Weimariæ 1777 edit. sive additamenta ad hiſt. natur. Tom. 2. 1776 Altenburgi edit. aliosque curioſius perſcruter.

Tantæ interea temporis factæ ſunt ad omnem Claſsem acceſsiones, ut tertium imo quartum tantum Lithoſophorum oculis valeam offerre, atque inter illa quidem ejusmodi, quæ

mihi

mihi certè in hunc diem incognita ac fortaſse paucis Lithophilis hucusque viſa, palàm auſim pronunciare, de quibus initâ in anteceſsum cum æquis rerum æſtimatoribus accuratiore disquiſitione Lucubratiunculam aliàs meditor communicare.

Modò ex Amicorum Consilio, ac Mineroſophorum, quos inter hoc loco non immeritò Nobilem Dom. in Buſch, L. B. de Weipeler, à quo, quidquid mineralium in ejusdem Minerophylacio hactenus reconditum ex utroque Ducatu latuit, mecum ſcripto communicatum fuit, gratus recenſeam, prænobilis etiam D. Döring in re metallicâ S. E. P. à Consiliis adjutus auxilio, Mineralia mea ana-

lecta

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

lecta Julio - montenſia ad indicis modum Minerophilis proponens, ſperem id pari, quo Petrificata deſcripſi, Succeſsu futurum.

Certè, quò ſecurius, ac rectius progrederer, ope, & operâ, ſi unquam aliàs, indigebam. Suppetias proinde petii non niſi à Viris in hoc ſtudiorum genere verſatiſsimis, ac ubivis ferme celebratiſsimis, CC. Cronſtedto, Linnæo, Wallerio, Woltersdorffio, Baumero, aliisque, quorum meritis, ac laudibus nemo unus, niſi in mineralogicis plane rudis, derogaverit.

Vtque nihil Lectori Benevolo videar celare, id fateor ingenuè, me è Lithophylaceo, quod perilluſt. Ignatius

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

natius S. R. J. Eques à Born Pragæ 1772 typis vulgari curavit, denominationes à Claſsicis authoribus in hoc genere receptas, ac vel ab eodem ipſo Cel. Metallographo à tantis Viris mutuatas excerpsiſse, quibus, quidquid minerarum hinc inde operosè comportavi, ſeu mutuis commutationibus ab amicis acquisivi, ſeu è minerophylaceo antè nominati Ger. Domini in hunc indicem aſteriſco notatum intuli, clarius deſcriberem, diſtinguerem que, nihil anxius, propterea Plagiarii nomine notari, si uno quasi ex ore Minerophiti loqueremur.

Audacior quidem ego exinde poſsem videri, cùm verò aliis graviori-



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

bus officii mei curis diſtento horas duntaxat ſubſecivas mihi liceret in hoc indice compilando collocare, non erat, cur erubescerem, quod viæ Duces, & Manuductores elegerim, quorum premendo veſtigia extra aleam verſarer aberrandi à recto tramite.

Quodsi alicubi per decurſum hujus indiculi cæſpitaverim, id quisque velim ſecum, mecumque reputet, humani nihil à me alienum eſse, neque me eſse Metallurgum, qui quævis juxta metallicæ artis Canones, ac præcepta exactè ſciam depingere, aut Metallicum, qui subterraneos cuniculos, eorumque diverticula permeando propriis oculis perluſtraverim unquam, aut mineroſophicum examen aliquando ſubierim; quando-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quandoquidem hoc præſertim, quo vivimus, ævo, Metallici ea, quæ uſu, & exercitiis quotidianis didicêre, ita pertinaciter ſibi retinere videantur, ut nihil ad propria commoda præpedienda magis idoneum, quam cum aliis ſcientiam ſuam dicam, an artis peritiam communicare; è contra nihil ad lucra propria ſacineda, amplificandaque conſerre poſse arbitrentur, quàm ſibi ſolis ſapientes eſse Metallarios; quocirca vel ipſorum rei metallicæ Præſectorum hodiedum compluribus, nedum mihi, acquieſcendum inſtitutionibus iis, quæ vel in proborum ſcriptorum tractatibus mineralogicis traduntur, aut à Viris hac in re exercitatioribus, genuinisque Metalloſophis oretenus explicantur.

Cæte-

Cæterùm nil dubitem, quin prudens Lector tenuem opellam hanc vel ex hoc capite probes, quod circa ejusmodi corpora indicanda verſetur, quorum ut accuratiorem deſcriptionem Provincia quævis Metallorum ferax, ac tum præcipuè, ſi ad negotiationem ærariam promovendam conferre ubertim poſsit, non modo cum Indigenis, publica Patriæ emolumenta cordi habentibus, ſed & omnibus, quibuscum commercia fiunt, imò florere aliquando abunde poſsent, Extraneis circumcirca communicaret, perutile, imo pernecceſsarium eſse permultis rerum gnaris videtur; quam quidem animadverſionem * è Nob. Danielis Tilaſii

* Hiſtor. mineral. Sueciæ Parad. german Edit. Lipsiæ pag. 7. & 8. 1767.

ſii oratoriâ delineatione Hiſtoriæ naturalis Sueciæ, quam Bruckmannus è ſueco jdiomate germanicam fecit, inferendam hoc loco non abs re putavi.

Indicem Analectorum ad Calcem apponere ſupervacaneum videbatur, quandoquidem in hoc ipſo triplici, in quem hæc folia dispertivi, indice ea ad numeros recenſeam omnia, quæ aut è Juliâ, aut è Montibus aſſervo. In primo quidem metalla perfecta, imperfecta in altero, in tertio demum phlogiſta mineralia, exactiſſimis Metalloſophis, ad quos Te quàm humaniſſimè jure remitto, minerologicas ſuas relinquens definitiones, diviſionésque, quibus ſeu adderem, ſeu ſubtraherem, æque temerarius forem,



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

*exſcriptas verò si repeterem, ùt actum agens meritò insimularer.*

*Vale.*

*Düſseldorpii Mense Junio, Die 21*
*Anno 1779.*

*Franciscus Beuth.*
Miſſionarius Julio-Montenſis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

# INDEX PRIMUS.

## METALLA PERFECTA.

# AURUM.

Juliæ, ac Montium Ducatus ſat fæcundos Metallis eſse, pauci ſunt, qui neſciant. Sanè è ſolis fodinis Wildbergicis, & Heidbergenſibus ( neque enim de aliis hucusque experiri certi quidquam potui ) ab anno 1718, quo prima Metallicorum manus admota fuiſse fertur eruendis ibidem metallis, uti in monumentis authenticis me nuper admodum legere memini, us-



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

que ad annum 1771, ad quem pertingentes duntaxat Tabulas inſpexi, ſupra ſexcenta & octoginta ſex millia, nongentorum ac ſexaginta Florenorum proventum fuiſse ſcimus:

Fæcunditate tamen metallorum nobiliorum auri & argenti Patriam noſtram Bohemiæ, Hungariæ, Saxoniæ, aliisque hoc titulo celebratiſsimis Regionibus facile cedere, lubens æque hic fateor, atque ante me in ſuâ Oryctographiâ * Cl. Jacob. Bajerus de ſuo Norico idipſum conceſſi. Expertem tamen omnino auri argentique non eſſe Patriam noſtram cum eodem auſim dicere.

Larvato, ** vel Pyrite mineraliſato, *** vel in Zinci minerâ latenti, ac non niſi per ignem educendo, non exiguis impenſis ſuis Minerophili aliquot admovere manum, fortaſſis nihil dubitantes de ſecundis ſucceſſibus, ſpebus ſuis conceptis paribus; verùm non reſpondit ſumptui labor.

Sed

* Oryctograph. Noric. Edit. Norimberg. MDCCIIX. pag. 91. C. X.

** Vid. à Born part. 1. pag 67.

*** Ibid. pag. 68.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sed neque de Nativo, quod Rhenus hinc inde projectat, emolumenta, quod ſciam, quæ ſint operæ pretium, hucusque traximus. Certè deſtitum propterea à nonnullis haud ità pridem fuit ab ulteriore indagine, ne aurum mercari auro viderentur, quod effodiendis, & elaborandis aliis minus nobilibus, quæ è ſinu Patriæ copiosè ſatis eruuntur, metallis impendi utilius poterat, quod hic obiter duntaxat meminiſſe ſufficiat.

Ex analectis meis indico ſequentia.

N. 1. Aurum nativum Rhenanum particulis minimis in arenâ flaveſcente fragmentis ſilicinis nigricantibus mixtâ. * *è Rheno prope Mündelheim in Ducat. mont. Satrap. Angermund.*

N. 2. Aurum nudum arenæ fuſcæ granulatim admixtum. ** *è Rheno prope Cæſaris Inſulas.*

N. 3. Aurum nativum nudum ſolutum arenæ granulis majusculis, ſed rarius immixtum. *è Rheno prope Steinen.*



* Vid. à Born part. 2. pag. 108.

** Waller. pag. 411. §. 131. Spec. 304.

N. 4. Aurum Rhenanum granulis malleabilibus compreſſis, rotundis colore vel pallido, vel plumbeo arenæ mixtum. *prope Düſſeldorpium*.

N. 5. Aurum nativum admixtum globulis mineræ ferri retractorii arenæformibus, nigricantibus. *ibidem*.

* Ex ejusmodi auro Rhenano, ad normam conventionis cusus eſt anno 1767 nummus, valore Ducatum æquans, è cujus parte adverſâ videre eſt Caput Sereniſſimi Electoris Palatini ſiniſtrorſum reſpiciens, cæſarie ad cervicem faſciâ leniter colligatâ, ejusdemque cincinnis in humerum dextrum defluis cum Epigraphe: CAR. THEODOR. D. G. C. P. R. S. R. J. AT. & EL. ex averſâ verò Mannhemium munimentis cinctum Sole ſupra urbem radios dextrorſum vibrante; ultra cis præterfluentem Rhenum Metallicos, Puſionum formâ præcinctos, arenam auriferam curriculis convehentes, ſecernentes, ac prope Tabernacula ſua cribrantes, cum inſcriptione: *Sic fulgent Littora Rheni*. Inferius ad norm. conv. 1767.

* Onomatolog. hiſt, nat. Tom. 2. pag. 107.

# ARGENTUM.

Argentum è nobilioribus metallis ab auro primum & unicum paulò liberalius è fodinis patriis, ſed non niſi in galenâ * ſe ſe eruendum offert.

Intra annos ſupra indicatos è fodinis Wild- & Heidbergenſibus in Satrapiâ Windecenſi Ducatus Montenſis è galenâ prodiêre ſupra novendecim argenti ( *brandſilber* ) marcarum millia trecenta & octodecim cum ſemunciis duodecim.

Galena hæc eliquata obtulit ſupra novemdecim mille centum quinquaginta novem marcas, tres ſemuncias argenti depurati ( *fein* ) ac præterea centum, & ſexaginta tres marcas argenti cum decem ſemunciis in ære puro ( *gahr kupfer* ) ad officinam monetariam remiſſas, centum ac triginta ſupra trecenta & octoginta ſex millia florenorum pretium. Aſſervo ſequentia.

* Vid. onomat. hiſt. nat. Tom. 1. pag. 722. argenti minera improp., & ibid. pag. 723.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

N. 1. Galena, ſeu minera Saturni argentoſa granulata, areis minoribus micans. *ad Dornſchächtergang è fodinis Wildbergenſibus.*

N. 2. Galena argento dives priſmatica, ac lamelloſa. *ad Scheurenſchächtergang. ibid. in Parochiâ Odenſpiel.*

N. 3. Minera ſaturni galenica argentifera, ſpatacea, ochrâ luteâ obducta. *ibidem.*

N. 4. Galena argentoſa cryſtalliſata, maculis nigricantibus tincta. *ibidem.*

N. 5. Galena argentifera ſpatacea cum ærugine nativâ. *ibidem.*

N. 6. Galena argento & ſulphure mineraliſata granulata, ſquammis majoribus, & minoribus micans cum ochrâ luteâ. *ibidem.*

N. 7. Galena argentoſa ſtriata, ſulphure mineraliſata cum minerâ veneris, & quarzo colore flaveſcente. *ad Dornſchächtergang. ibidem.*

N. 8. Galena punctata argenti particeps admixtâ minerâ veneris. *ibidem.*

N. 9. Galena texturæ chalybeæ, argento, arſenico, & ſulphure mineraliſata. *ibidem.*

N. 10.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

N. 10. Galena argentifera areis majoribus & minoribus mixtis micans cum minerâ veneris flavâ, & ſulphure, ferroque mineraliſata, colore aureo nitente. *ibidem.*

N. 11. Galena ſpathacea texturæ chalybeæ argentoſa. *ibidem.*

N. 12. Galena argento dives particulis minoribus micans, mineræ martis albicanti immixta. *ibidem.*

N. 13. Galena argentifera teſsulis minoribus obliquè micans. *è fodinâ, tres fere horæ quadrantes à Wildberg. diſſitâ.*

N. 14. Galena cryſtalliſata, cryſtallis ſolitariis hinc inde ornata, argento dives. *ibidem.*

N. 15. Galena argentoſa teſſeris maximis. *ibidem.*

N. 16. Galena argentoſa cum ſpato cellulari cryſtalliſato, cryſtallis columnaribus albis prominentibus. *ibidem.*

N. 17. Galena argentoſa micans, venis ſpatoſis intercurrentibus variæ texturæ. *ibidem.*

N. 18. Galena granulata areis minoribus, argento admodum dives, centumpondio quadraginta ſe-

muncias argenti tenente. *prope Benſbergam in Ducatu Montenſi è fod. Sigenianis.*

N. 19. Galena ſquammis majoribus & minoribus permixtis micans, centumpondio decem ſemuncias argenti ferente. *è fod. Sigenianis. ibidem.*



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

# PLUMBUM.

De Galenâ, ùt argentoſâ factâ mentione, jam de eadem, utpote plumbi minerâ: è quâ ex fodinis ſuperius indicatis eodem temporis ſpatio prodière poſt eliquationem ſupra triginta duo grumorum (metallici *klumpen* appellant) millia quadringenti, viginti & unus, qui ſimul appenderunt centumpondia ſupra triginta quinque millia, trecenta, quadraginta quatuor, quadraginta & ſex pondo, pretio ſupra ducenta & quadraginta millia quadringentorum, & quadraginta florenorum: proſecuturus indicem, noto ſequentia è Juliâ, & Montibus.

N. 1. Teſſera galenica, teſſulis vel fragmentis diſtinctis cubicis majoribus micans, obtecta quarzo ſquammoſo, & lamelloſo, ſaxo ſimplici apyro quarzoſo firmiter conjuncta, ſuperficie Druſa quarzoſâ flaveſcente, & quarzo cry-

ſtalliſato

ſtalliſato irregulari ornatâ. *è Ducatu Montenſi, Satrapiâ Windeck prope Eckenhagen.*

N. 2. Teſſera galenica, ochrâ luteâ obtecta cum druſâ ſpataceâ lamelloſâ vitreâ. *ad altenbleiberg infra Mittelacher.*

N. 3. Teſſera galenica cubica, cubis immixtis ſpato vitreo ſemipellucido croceo cryſtalliſata, partim decumbentes, partim erectas oblongas cubicas, & priſmaticas lamellas repræſentans. *ibidem.*

N. 4. Quarzum cryſtalliſatum irregulare croceum cum diverſis Teſſeris galenicis polygonis. *ibidem.*

N. 5. Galena teſſulata diverſimodè figurata cum drusâ quarzoſâ, & ſpato vitreo lamelloſo. *ibid.*

N. 6. Druſa ſpatacea vitrea lamelloſa crocea, figuras cubicas, aliasque ſagittis, lanceisque ſimiles. referens. *ibidem.*

N. 7. Druſa priori ſimilior. *ibidem.*

N. 8. Quarzum cryſtalliſatum irregulare, flaveſcens, cum ſpato vitreo lamelloſo particulis plumbeis immixtis. *ibidem.*

N. 9.

N. 9. Quarzum cryſtalliſatum jam deſcripto accedens. *ibidem.*

N. 10. Minera plumbi albeſcens cryſtalliſata, lamellis hinc inde prominentibus cum terrâ præcipitatâ ochraceâ. *è Satrapia Montenſi Windeck, Parochiæ Odenſpiel, ad Scheurenſchächtergang in Wildberg.*

N. 11. Minera plumbi ſpatacea alba, rhomboidalis, maculis nigricantibus pellucens cum ochrâ luteâ. *ibidem.*

N. 12. Minera plumbi rhomboidalis, priſmatica, & lamelloſa. *ibidem.*

N. 13. Minera plumbi notatæ ſimilior, ſpatacea, polygona, adhærente ochrâ luteâ. *ibidem.*

N. 14. Minera plumbi ſpatacea cryſtallis rhomboidalibus conſita, ochra flaveſcente, & inquinante obductâ. *ibidem.*

N. 15. Minera plumbi cryſtalliſata, maculis nigreſcentibus tincta, lamellis priſmaticis & polygonis mixtis prominulis obducta. *ibidem.*

N. 16. Minera plumbi ex albo griſea, ſolida cum ærugine nativâ, & ochrâ rubeſcente. *ibidem.*

N 17.

N. 17. Galena granulata, ſquammis majoribus & * minoribus micans, ſulphure mineraliſata cum minerâ plumbi albâ ſpataceâ, & ochrâ luteâ. *ibidem.*

N. 18. Galena ſtriata, & granulata, areis diverſis micans, ſulphure, & cupro mineraliſata cum quarzo fragili, colore ex flavo virideſcente. *ad dornſchächtergang in Wildberg. ibidem.*

N. 19. Galena plumbi punctata, ſulphure & cupro virideſcente mineraliſata. *ibidem.*

N. 20. Galena plumbi, texturæ chalybeæ, ſulphure, & arſenico mineraliſata. *ibidem.*

N. 21. Galena plumbi granulata areis majoribus, & minoribus micans cum minerâ cupri flavâ, ſulphure, & ferro mineraliſata, colore aureo, ac variegato nitente. *ibidem.*

N. 22. Galena plumbi granulata areis mixtis, mineræ ferri albæ immixta, ſpatiformis. *ad Dornſchacht. ibidem.*

N. 23.

* Vid. Laur. Balck in Continuatione Selectarum ex amœnitatibus academicis Carol. Linnæi diſſertationum Græcii edit. 1766. pag. 243.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

N. 23. Galena granulata texturæ chalybeæ particulis minoribus micans. *ibidem.*

N. 24. Quarzum arenaceum, & cryſtalliſatum cum galenâ fragmentis diſtinctis cubicis majoribus micante, ærugine nativâ, & minerâ plumbi alba ſpatacea immixta. *prope Mittelacher ad Schulbüſchgen.*

N. 25. Minera plumbi rubeſcens, cubica. *prope Eckenhagen in Duc. Mont.*

N. 26. Minera plumbi cryſtallis pyramidalibus obſita. *ibidem.*

N. 27. Minera plumbi teſſulis obliquè ſplendentibus in quarzo fuſco. *ibidem.*

N. 28. Minera plumbi teſſulis aggregatis, cryſtallis ſpataceis obſita. *ibidem.*

N. 29. Galena plumbi opaca cryſtallis foliaceis largioribus, colore ſubflaveſcente. *ibidem.*

N. 30. Druſa mineræ plumbi, cryſtallis ſpataceis nigricantibus obſita in matrice quarzoſa. *ad Blumengang. ibidem.*



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

N. 31. Minera plumbi opaca in quarzo, teſſeris majuſculis cum lamellis ſpataceis, colore nigro & albo alternantibus. *ibidem.*

N. 32. Chaos teſſulare mineræ plumbi cryſtallis craſſioribus pellucidis, adhærens matrici quarzoſæ. *ibidem.*

N. 33. Druſa galenica cryſtallis albis ſpatoſis capillaribus, longioribus erectis, aggregatis. *ibid.*

N. 34. Galena plumbi teſſeris polygonis, granulis minimis in matrice quarzoſa colore è flavo fuſco. *ibidem.*

N. 35. Galena areis minoribus micans in lapide corneo albeſcente. *ibidem ad Fahrenberg.*

N. 36. Druſa quarzoſa cubis majoribus & minoribus mixtis, eorumque fragmentis quarzo immixtis. *ibidem.*

N. 37. Galena plumbi particulis minimis cum plumbagine * *ad Wildberg.*

N. 38.

* Vid. Wall. pag. 377. Spec. 283. §. 125. N. III.

N. 38. Pſeudogalena picea cum galenâ granulatâ areis minoribus micans. *è fodinis Sigenianis prope Bensbergam in Ducatu Mont.*

N. 39. Galena plumbi, granulis minoribus & majoribus mixtis. *ibidem.*

N. 40. Galena plumbi in matrice quarzi fuſci. *ibidem.*

N. 41. Galena plumbi ſtriata. * *ibidem.*

N. 42. Plumbum ſulphure & arſenico mineraliſatum in minerâ pinguiore fere malleabili. *ex Obercaldenb. verſus dinaſt. Schwarzenberg-Gimb.*

N. 43. Plumbago metallica teſſulis majoribus micans cryſtallis polygonis flaveſcentibus obducta. ** *prope Lintorff in Satrapiâ Angermund in Duc. Mont.*

N. 44. Galena plumbi areis minoribus micans. *ibidem.*

N. 45. Galena plumbi teſſulis majoribus obliquè reſplendens in maſſa spatacea. *ad Beimesdorff in Satrap. Mettman, Ducat. Mont.*

C N. 46.

---

* Wall. ſpec. 282. N. 10.

** Vid. Waller. pag. 375. ſpec. 282. N. 1.

N. 46. Plumbum adhærens, & immixtum fluori minerali albeſcenti pellucido polygono. *è Satrapiâ Angermund in Duc. Mont.*

N. 47. Druſa mineræ plumbi viridis, mixta minerâ Cupri terreâ. *ex Ericeto prope Keldenig in Satrap. Monaſt. Effl. Ducat. Juliac.*

N. 48. Minera plumbi Spatacea involuta plumbagine. *ibidem.*

N. 49, Minera plumbi Spatoſa ſolida, argillæ intimè mixta, * colore rubeſcente, fractura nitente. *prope Kall in Eiffliâ.*

N. 50. Ejusdem varietates complures. *ibidem.*

N. 51. Minera plumbi in ſpato, argillæ ſubflaveſcenti ſenſim admixta. *ad Lieberg prope Keldenig.*

N. 52. Minera plumbi argillæ inſenſibiliter immixta colore ex flavo albeſcente. *ibidem.*

N. 53. Minera plumbi albeſcens ſtratoſa, dives centumpondio ſupra octoginta libras plumbi conferente. *ibidem in Ericeto.*

*N. 54.*

---

* Onomatolog. hiſt. nat. pag. 606. Waller. ſpec. 287. pag. 381. & ſeq.

N. 54. Minera plumbi ſpatoſa, argillæ pallidè rubeſcenti ſenſim mixta. *ibidem.*

N. 55. Galena teſſularis cubis irregularibus adhærente quarzo ex flavo fuſco. *prope Call in Eiffliâ.*

N. 56. Galena teſſularis in matrice ſquammoſa calcaria. *ibidem ad Kallbach.*

N. 57. Galena plumbi in lapide ſpatoſo ſelenitico. *ibidem.*

N. 58. Galena plumbi areis minoribus, minerâ Lunæ ſulphuratâ mineraliſata, ad chalybem ſcintillans. *è fodinis Meinerzhagenſibus haud procul Bleibur in Eiffliâ.*

N. 59. Galena plumbi ſulphure & ferro mineraliſata in matrice arenoſa flaveſcente. *prope Sötenich in Eiffliâ.*

N. 60. Galena plumbi cubis & granulis minoribus in matrice quarzoſa, & arenoſa. *prope Maelsbenden in Eiffliâ.*

N. 61. Galena plumbi dives,* in matrice quarzi fuſci, areis majoribus, inſperſis minoribus micans. *prope Heiſtert in Eiffliâ.*

N 62. Galena plumbi particulis cubicis * exiguis & granulatis maſsæ arenaceæ albeſcenti mixtis. *prope Bleibur ad Bleiberg.*

N. 63. Minera plumbi ſpatacea botryites argillæ albæ intimè mixta. *ex Ericeto Keldenichbio verſus Heiſtert.*

N. 64. Minera plumbi ſpatacea argillæ partim albæ, partim ex flavo rubeſcenti intimè mixta, ** *ibidem.* Metallici hìc appellant *Leimerz-Bleierde.* Centumpondium dat plumbi libras 60. ad 70.

N. 65. Teſſeræ galenicæ cubicæ aggregatæ ex Danzberg ochra Martis perfuſæ. *in Eifflià.*

N. 66. Teſſera galenica cum minera plumbi alba ſpatacea obliquè ſplendente. *ad Kriſch prope Call in Eifflià.*

N. 67. Minera plumbi galenica maſsæ silicinæ arenaceæ albæ granulatim inſperſa. *ad Kudenberg verſus Bleibur in Eifflià.*

*N.* 68.

* Waller. pag. 377. §. 125. animadver. poſt N. 10.

** Vid. Wall. ſpec. 287. pag. 381.

N. 68. Complures ibidem variationes, particulis minimis disjunctis in maſsâ friabili arenosâ. *ibidem.*

N. 69. Plumbum ſpatoſum ponderoſum cryſtalliſatum, cryſtallis albis polyædris apice truncatis, admixta cruſtâ martiali arenaceâ flaveſcente. *ad Callbach in Eiffliâ.*

N. 70. Galena plumbi ſtratoſa, è rimis petræ calcariæ ſpatoſæ eruta. *prope Nothberg in Duc. Juliac.*

N. 71. Galena plumbi cubis majoribus lamelloſis aggregatis oblique micans, adhærente ochrâ flavâ. *ibidem verſus Greſsenich.*

N. 72. Minera plumbi in maſsâ veroſimilius Vulcaniâ ſpongioſa, inſiſtentibus eidem cryſtallis hexagonis ſpataceis. *ad Greſsenich in Duc. Jul.*

N. 73. Minera plumbi areis majoribus, lamelloſâ ochra martis perfuſa. *ad Duvelar prope Stollberg in Duc. Jul.*

N. 74. Galena plumbi cubis majoribus & minoribus mixtis hinc inde inſperſis cum minerâ zinci terreâ. *prope Stollberg.*

N. 75. Galena plumbi teſſulis polygonis accumulatis obliquè ſplendentibus. *prope Parthenonem in Wenau in Duc. Jul.*

N. 76. Galena plumbi ſulphure, & ferro mineraliſata, particulis cubicis micans ochrâ flavâ perfuſa. *ibidem prope Wenau.*

N. 77. Galena admixta pyriti martiali, ſive ſulphuri ferro mineraliſato. *prope Mausbach in Duc. Jul.*

N. 78. Galena plumbi cæſio-nigra cubis minoribus ſplendens. *ad Fuſchenkaul verſus Mausbach.*

N. 79. Minera plumbi galenica teſſulis minoribus confusè aggregatis reſplendens, ſulphure mineraliſata, ochra Martis luteâ perfuſa. *ad Mausbacherhoff prope Eſchweiler in Duc. Jul.*

N. 80. Galena plumbi in Spato, Sulphure & ferro mineraliſata, particulis fractis maſsâ ochraceâ confusè conglutinatis, fractura ſcabra. *ad Wolffart.*

N. 81. Minera plumbi ſparacea opaca cum minerâ zinci terreâ. *prope Mausbach.*

N. 82. Minera plumbi cum ferro, & minerâ zinci flaveſcente. *ad Ortbuſch.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

N. 83. Druſa mineræ plumbi viridis, mixta minera cupri terrea, & ochrâ Martis luteâ. *prope Radt in Eiffliâ.*

N. 84. De Galenâ pauperum Linn. varias aſſervo portiones, paſſim effoſſas in Ericeto Kalenbergenſi ad Siſtig, Fohr, Höffling, Entenfuſs, Farbhauſs, Gluckſtadt, quæ cùm præter paucum plumbum vix quicquam contineant, non niſi ad vaſa fictilia vitro incruſtanda (*zu glaſirungen*) * adhibentur.

N. 85. Subnecto hic Lythagyrium ** è minerâ plumbi Wild- & Heidbergenſi proveniens, ex quo ſive flavo vel Chryſite, ſive albo, vel Argyrite ſpatio annorum ſuperius notatorum prodière nongenta ſexaginta ſex centumpondia, ſupra ſeptem millia centum & quadraginta ſeptem florenorum pretium.

Cuprum.

* Vid. Cronſtedt. §. 189. pag. 207.

** Vid. Waller. pag. 571. §. 14. Spec. 27. N. 5.

# CUPRUM.

De Minerâ Martis, quam in fodinis Ducatus Montenſis mineræ Saturni paſſim conjunctam, ac paulò liberalius, quam in Ducatu Juliacenſi ſe offerre; ſed in hoc præ illo ad aurichalcurgiam magis conferre apud Stollbergenſes nominatim deprehendimus, è fodinis jam ſæpius laudatis ſupra mille ducenta, ac triginta ſeptem centumpondia, florenorum ſupra quinquaginta & tria millia ducentorum & quadraginta pretium profluxiſſe, in pugillaribus, & alibi notatum reperi, Callenſium, Greſſenichiorum, Vlattenſium, aliarumque fodinarum in Juliâ ex Cupro Proventuum computationibus annuis heic ſilentio præteritis.

Adſcribo ex Analectis meis ſequentia.

N. 1. Ærugo nativa terrea. *è Ducat. Mont. Satrapiâ Windeck. Parochia Eckenhagen.*

N. 2.

N. 2. Ærugo nativa, ſive ochra Cupri viridis, * in Matrice fuſcâ quarzoſa. *ex Mittelacher in Ducat. Mont.*

N. 3. Ærugo nativa opaca colore partim cæruleſcente, partim viridi, in matrice ſpati albicantis. *ibidem.*

N. 4. Ærugo nativa plumoſa in minerâ cupri terreâ colore ſubfuſco. *ex Ruppichtrath in Duc. Mont.*

N. 5. Ærugo nativa plumoſa in minera cupri flaveſcente quarzosâ. *ibidem.*

N. 6. Ochra Veneris ſolida cryſtalliſata ſeu lapis Lazuli. ** *prope Vlatten in Eiffliâ.*

N. 7. Ærugo nativa ſolida, ſive Malachites. *** *prope Schmidten in Eiffliâ.*

N. 8. Cæruleum montanum immixtâ ærugine nativâ in matrice arenosâ quarzosâ colore fuſco. *ibidem.*



* à Born part. 1. pag. 105.

** Vid. Baumer. part. 1. pag. 407. & 408. §. 12.

*** Baumer. ibid. pag. 409. §. 14.

N. 9. Cæruleum montanum ſuperficiale, & granulatum * *prope Vlatten. ibidem.*

N. 10. Druſa æruginis nativæ vireſcens mixta cæruleo montano cryſtallis quarzoſis adnatis. *ibid.*

N. 11. Ærugo nativa ſolida nitens. *haud procul Nideca.*

N. 12. Druſa opaca Veneris, ſive æruginis nativæ colore cæruleo immixto cum ochra Martis lutea. *è Satrap. Monaſt. Eiffl. prope Keldenig in Ericeto.*

N. 13. Minera cupri flava cum Chryſocolla Agricolæ, ſive ærugine nativa ** & cæruleo montano in Quarzo. *prope Ruppichtrath in Satrap. Blanckenberg.*

N. 14. Minera cupri opaca, immixtis cupro lazureo plumoſo, & ærugine in minera Veneris terrea colore ſubfuſco. *ibidem.*

N. 15. † Minera cupri flaveſcens opaca, in quarzo albo, & marmore griſeo. *ibidem.*

*N.* 16.

---

* Vid. Waller. pag. 361. §. 123. Spec. 270.

** Waller. 358. Spec. 269. & Bajer. oryct. Nor. pag. 94.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

N. 16. Minera cupri virideſcens cum ærugine in lapide quarzoſo, & cæruleo montano ſuperficiali. *ibidem.*

N. 17. Minera cupri hepatica fulva, ſulphure, & ferro mineraliſata. *è Ducat. Mont. ad Wildberg. Scheurenſchächtergang. paroch. Odenſpiel.*

N. 18. Minera cupri viridis, ærugine nativa plumoſa admixta, ſulphure, & ferro mineraliſata. *ibidem.*

N. 19. Minera cupri hepatica, ferro, cupro, plumbo ſpatoſo, & ſulphure mineraliſata, aſperſa ærugine nativa, admixto pyrite Veneris ex flavo virideſcente. * *ad Schulbüſchgen è fodinis ex adverſo Mittelacher.*

N. 20. Minera cupri flaveſcens, ſulphure & ferro mineraliſata, colore aureo nitens cum galena argentifera granulata, areis diverſæ magnitudinis micans. *ad Wildberg Dornſchächtergang in Satrap. Windeck.*

N. 21. Minera cupri, ſulphure, arſenico & ferro mineraliſata. *ibidem.*

---

* Vid. Cronſtedt. pag. 213. §. 196.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

N. 22. Minera cupri flava ſolida cum minera cupri hepatica flava. *è Joſina prope Mittelacher.*

N. 23. Minera cupri ſubflava arſenicalis cum quarzo. *ibidem.*

N. 24. Minera cupri colore jridis. *prope Lindlahr in Ducat. Mont.*

N. 25. Minera cupri cum ochra ferri. *prope Lamersdorff in Monjaviâ.*

N. 26. Minera cupri inſperſa ærugine nativa cum minera ferri ochracea. Variationes plurimæ. *è Satrap. Nidecenſi prope Keldenich.*

N. 27. Quarzum irregulare colore flavo, maculis cupri, & plumbi granulis hinc inde aſperſis. *è fodinis prope Bensbergam jam ferè deſertis.*

# FERRUM.

Quanta ſit hujus Metalli in Ducatibus Juliæ, & Montium copia, abunde prodit fodinarum Caldenbacenſium, Bornefeldenſium, Steinbacenſium, Windecenſium, aliarumque Multitudo, officinarum item ferrariarum apud Sohlingenſes, Remſcheidianos, aliósque per omnem latè Patriam Montenſem frequentia. Ferrariæ idipſum non minus probant in Juliâ Fodinæ, quas per jndicis hujus decurſum inditis eisdem, ac jam tum quaſi propriis nominibus indigitavi, è quibus dives admodum Ferri minera circumcirca effoſa ad fornaces, focos, melleósque Simonis-Callenſes, Schevenhüttenſes, Junckerſenſes, Gemundanos jam à trecentis annis ſub Wilhelmo, ſeptimo Juliæ, quarto Montium Duce G. M. notos excoquenda, ac fundenda ingenti singulis annis copia convehitur, ex quâ

eliqua-

eliquatum dein, ac fuſum Metallum aut in mollius, aut in durius temperatum, prout in uſus varios deſtinatur, cùm aliud Enſes, aliud Limæ, aliud Arma in tutelam paranda ſibi expoſtulent, in millenos, sive domeſticos, sive agreſtes uſus in centenis quaquaverſum officinis aptatur, jn- & Accolarum commodo incredibili.

Specimina indico ſequentia.

N. 1. Minera ferri alba ſpatoſa. * *ad Wildberg è Dornſchächtergang in Ducat. Mont. Satr. Windec.*

N. 2. Minera ferri albicans commixta mineræ cupri flavæ. *ibidem.*

N. 3. Hæmatites globularis botryitim concretus *è Satrap. Steinbac. Paroch. Engelskirchen in Duc. Mont.* Ferrum inde elicitum poſt iteratam in foco ferrario recoctionem, chalybem præbet optimæ indolis.

N. 4. Minera ferri ſolida globoſa, fracturâ glabrâ. *ad Kauertz vulgò 15 Lowenphälen in Ober-*

* Vid. quæ L. B. ex Cl. Poda in Edit. græcenſi 1766. in continuat. amænit. academ. Linnæi pag. 243. citat.

*Oberkaldenbach. in Duc. Mont.* Centumpondium fert libras 70 ad 80.

N. 5. Minera ferri nigricans cum micâ martiali. *è fodinis Litzianis. ibidem.*

N. 6. Minera ferri albicans. *ad Eichenhövergang prope Remſcheid, in Satrap. Bornefeld. Duc. Mont.* in crudam nihil agit Magnes, toſtæ vero pulveres ab eodem trahuntur.

N. 7. Minera ferri è cinereo nigricans. *ibidem.* binæ jam notatæ Mineræ Martis ſpecies igni adplicatæ facilius liquantur. in tigillis probatoriis examinatæ dant libras ferri 60 ad 70. paratur ex eadem optimæ notæ chalybs.

N. 8. Hæmatites nigreſcens cubis aggregatis micantibus. *prope Caldenbach.*

N. 9. Hæmatites figurâ planâ, fracturâ fibroſâ nitente. *ex Obercaldenbach. ibidem.*

*N.* 10. Hæmatites turriculis, columnis, ac varia textura obſitus, colore ex nigro nitente. *ibid.*

N. 11. Hæmatites † nigricans, ſtiriæformis, cellulis aggregatis. *ibidem.*

*N.* 12.

N. 12. Hæmatites globoſus colore cinereo-cæruleo. *ibidem.*

N. 13. Hæmatites colore variegato, globoſus fractura tum glabra, tum fibroſa. *ibidem.*

N. 14. Hæmatites globoſus ſolidus, fractura glabra. *prope Bendorff.*

N. 15. Hæmatites globoſus flaveſcens. *ex Kemmerich verſus Gimborn.*

N. 16. Hæmatites ſtiriæformis, tubulis aggregatis, croco fuſco incruſtatus. *è Duc. Mont.*

N. 17. Magneſia * nitens colore è nigro-griſeo *prope Wipperfürth in Ducat. Mont.*

N. 18. Minera ferri figurata, ſive hæmatites ** botryites. *ad Palmbaum è fodinis Callenſibus in Satrap. Monaſt. Eiffl. in Duc. Juliac.*

N. 19. Hæmatites ſpecularis *** contortus, cruſta ochracea hinc inde rectus. *ad Mickenſchaaf in Ericeto. ibidem.*

---

* Vid. onomat. hiſt. natural. Tom. 5. pag. 12. & Waller. pag. 345. §. 121. Spec. 264.

** Vid. Waller. pag. 337. n. 6.

*** Waller. Spec. 257. pag. 335.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

N. 20. Hæmatites niger globoſus. *ad Kalb. ibid.*

N. 21. Hæmatites celluloſus colore ſubrubescente *ad Niederlaſs. ibidem.*

N. 22. Hæmatites cellulis aggregatis colore partim rubeſcente, partim flavo. *ad Ginzenberg ibidem.*

N. 23. Hæmatites globoſus globulis accumulatis, fractura arida. *ad Lindenbaum. ibidem.*

N. 24. Hæmatites criſtatus, colore in ſuperficie flavo, fractura lamelloſa. *ad Schürnerhoff ibid.*

N. 25. Hæmatites in argilla indurata flaveſcente, dendroides. *ad Renkeſſel. ibidem.*

N. 26. Hæmatites ſolidus nigreſcens, ochra flaveſcente paſſim aſperſus. *ad Fantertbier. ibid.*

N. 27. Hæmatites bracteatus cellularis * *ad Kalb in Ginzenberg.*

N. 28. Hæmatites lamelloſus cum ſpato cryſtalliſato colore flaveſcente. *ad Kirſchbaum. ibid.*

N. 29. Hæmatites globoſus ſuperficie glabra *ad Schmidtgen ibid.* Centumpondium amittit toſtione libras 40.



* Waller. Spec. 258. pag. 337.

N. 30. Hæmatites dendroides, fractura fibroſa. *ad Grünewald. ibidem.*

N. 31. Hæmatites turritus ſtillatitius nigreſcens. *ad Glücksberg in Silvâ. ibidem.*

N. 32. Hæmatites botryites, fractura arida. *ad Hülle prope Kappekul. ibidem.*

N. 33. Hæmatites teſtaceus fatiſcens, fractura arida. *ad Kirſchbaum prope Kappekul.*

N. 34. Hæmatites celluloſus lamellis ſpatoſis intercurrentibus, fibris aggregatis prominulis. *ad junge daube. ibidem.*

N. 35. Hæmatites cryſtatus polymorphus, colore partim rubeſcente, partim nigricante. *ad Haſſelkaul. ibidem.*

N. 36. Hæmatites ſtillatitius turritus fractura arida. *ad alten Pallaſt in Sylvâ. ibidem.*

N. 37. Hæmatites cellulis ſpecularibus, fractura partim ſtriata, partim arida, ſuperficie fuſca ochracea inquinante. *ad Mahlmühl in Sylva ibidem.*

N. 38. Hæmatites ætites callimo mobili. *ad Haspelbaum. ibidem.*

*N.* 39. Hæmatites granulis prominulis obſitus, colore hyalino variegato. *ad Gallbach prope Call.*

*N.* 40. Hæmatites fractura fibroſa, turriculis è ſuperficie glabra ſurgentibus, colore nigro nitente. *ad Guteſtein. ibidem.*

*N.* 41. † Hæmatites regulum Martis referens, ac cum eodem ſimilis coloris, fractura glabra. *prope Heiſtert in Eiffliâ.*

*N.* 42. Hæmatites è nigro ſplendens, adhærens Brecciæ, fractura ſtriata ac fibroſa. *ad Kuhlbach. ibidem.*

*N.* 43. Hæmatites ſcoriam referens, granulatus, colore chalybeo. *prope Steinſeld.*

*N.* 44. Hæmatites colore ſubfuſco, pectiniformis ac cellulоſus. *ibidem.*

*N.* 45. Hæmatites figura plana, è ſuperficie colorem jridis, ſeu caudæ Pavonis referens, in angulos rhomboidales deſinens, fluore albo cryſtallino obductus, fractura fibroſa. *ad Breidt prope Keldenig.*

*N.* 46. Hæmatites globosè in druſam aſcendens. *ibidem.*



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

*N.* 47. † Hæmatites druſiformis, rubeſcens, marginibus cæruleſcentibus, fractura arida. *ibid.*

*N.* 48. Hæmatites geodes, incluſa argilla albicante indurata mobili, fractura glabra. *ex Ericeto prope Keldenig.*

*N.* 49. Hæmatites polymorphus turritus, tubulis aggregatis, è quibus à latere ſtriæ tenuiſſimæ transverſim excurrentes ſe produnt. *ad Berg-werck. ibidem.*

*N.* 50. Hæmatites colore cinereo, trochitarum typis hinc inde conſpicuis, fractura arida. *ad Schmidtgen. ibidem.*

*N.* 51. Hæmatites dendroides, tritura cæruleſcente inquinante, fractura arida. *ad Niederlaſs. ibidem.*

*N.* 52. Hæmatites polymorphus cum typis milleporeticis. *ad Gluckauff. ibidem.*

*N.* 53. Hæmatites Botryites fatiſcens fractura arida, adhærente argilla indurata, colore purpureſcente. *ad Finck. ibidem.*

*N.* 54. Hæmatites turriculis accumulatis è lacunis hinc inde aſſurgentibus, ochra flaveſcente aſperſus. *ad Büchenbäumgen. ibidem.*



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

*N.* 55. Hæmatites ſolidus particulis fibroſis aggregatis, variæ texturæ, colore jam nigro, jam flavo. *ad Breid. ibidem.*

*N.* 56. Hæmatites globoſus è rubro flaveſcens. *ad Fried. ibidem.*

*N.* 57. Hæmatites botryites colore fuſco fatiſcens *ibidem.*

*N.* 58. Hæmatites dendriticè pictus, cum argilla indurata, colore fuſco. *ad Rothebeck. ibidem.*

*N.* 59. Hæmatites hipuritibus, typis chamarum lævium, & ſtriatarum, ac tubiporis circumcirca obſitus colore fuſco-pullo. *ad Lieberg. ibid.*

N. 60. Hæmatites globoſus, globulis oblongis ſtillatitiis oberrantibus, cruſtâ ochraceâ flaveſcente obductus. *ad Fincken. ibidem.*

N. 61. Hæmatites coralliis punctatis Eſcharæformibus in argillâ induratâ, minerâ Martis impraegnata colore fuſco, & flaveſcente. *ibidem.*

N. 62. Hæmatites globis majoribus ſolitariis, ac minimis accumulatis hinc inde vagè obſitus, fractura arida. *ad Kirſchbaum. ibidem.*

 N. 63.

N. 63. Hæmatites botryites fractura arida. *ad Breidt. ibidem.*

N. 64. Hæmatites hemiſphæricus fractura glabra colore ſubflaveſcente. *ibidem.*

N. 65. Hæmatites turritus, turribus, ac fiſtulis aggregatis opus gothicum æmulantibus. *ad Fröling prope Keldenig.*

N. 66. Hæmatites cylindraceus ſtillatitius * cylindris aggregatis. *ad Claus in Ericeto. ibid.*

N. 67. Hæmatites ſolidus botryites, fractura glabra, colore è pallido rubeſcente. *ad Pantherthier. ibidem.*

N. 68. Hæmatites turritus factura lamelloſa, arſenico nudo albo protuberante. **

N. 69. Hæmatites ſtillatitius ochra perfuſus, inquinans, cylindris aggregatis. *ad Brezel. ibid.*

N. 70. Hæmatites fatiſcens micans ſulphure mineraliſatus, fractura arida. *ad Danzberg.*

*N.* 71. Hæmatites cylindricus, cylindris densè cohærentibus, ochra flaveſcente obductus. *ad Kröjel. ibidem.*

---

* à Born. part. 1. pag. 120.

** Onomatolog. hiſt. nat. Tom. 1. pag. 793.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

N. 72. Hæmatites botryites ſingularis, ſtylo ferreo læſus rubeſcit. *ad Blæſer. ibidem.*

N. 73. Hæmatites botryites ſolitarius, ochra pulverulenta inquinante obſitus. *ad Knörſchelbeck. ibidem.*

N. 74. Hæmatites celluloſus, poroſus, quarzoſa cruſta obductus. *ad alte Brezel. ibidem.*

N. 75. Hæmatites cæruleſcens, granulis prominulis micantibus, fractura reſplendente. *ad Niederlaſs. ibidem.*

N. 76. Hæmatites ſubgloboſus, fractura poroſa. *è fodinis Klermondianis prope Keldenig.*

N. 77. Hæmatites polymorphus, globuloſus flaveſcens. *ibidem.*

N. 78. Hæmatites ex unâ parte globoſus, turritus ex alterâ, ochra ſubflaveſcente perfuſus. *ex Ericeto. ibidem.*

N. 79. Hæmatites turritus, turriculis densè ſibi incumbentibus, texturæ fibroſæ, flaveſcens. *ibid.*

N. 80. Hæmatites granulis lævibus colore nigro nitens, cruſta ochracea hinc inde obductus. *ad Printer. ibidem.*

N. 81. Hæmatites hemiſphæricus ſolidus, fractura arida, colore tum nigro, tum flaveſcente. *ad Glückſtein. ibidem.*

